

ARTIC. I.

An diuisiones complexorum, & incomplexorum, sint bene tradita?

licet prohibeat prædicationem vnus de altero; non tamen sufficit ad distinguendum generalissimum, vel species diuersas. Similiter propter istum modum significandi non prædicatur vnus de speciebus alterius: nec tamen de alijs speciebus prædicatur hoc, & illud: secundum hoc; neganda est hæc: albedo est species qualis: quia & hæc, albedo est qualis: & concedendum est: quod album non est albedo: sed non est concedendum: quod sunt species alterius generis; nec alia species: quia plus requireretur ad concedendum talem diuersitatem, quam ad impediendum mutuam prædicationem de se inuicem. Cum probatur superius, ea esse diuersa genera: quia non prædicantur de eisdem: potest negari: quia eadem sunt species vtriusque: sed hoc non est illud.

Ad aliam probationem cum dicitur: intentiones attribuuntur essentia; vt intelligitur: dico: quod secundum modum intelligendi abstracti, vel concreti, non variatur secundum genus, vel speciem; licet hoc non sit illud, &c.

Summa textus.

DECEM iam Antepredicamentalisbus quaestionibus explicatis; incipit Doctor disputare circa cap. quintum Aristotelici operis de Prædicamentis in genere; circa quod quaeritur: sint tantum decem Generalissima, seu Prædicamenta? Et quod non sint tantum decem; sed vel plura; vel pauciora; nonnullis rationibus probat, quæ satis in littera patent: quibus non obstantibus concludit dicens.

Tantum sunt decem generalissima rerum: Hanc probat Aristotelis auctoritate, & per argumentorum solutiones, quæ oppositum probare nitentur; & quamuis omnia iuxta Doctoris mentem videantur clara; nihilominus; quia multa ab illo concessa, & negata aliorum mentibus non quadrant; ideo de illis per nonnullos Articulos est inuestigandum.

Conclus.

OCCASIONE desumpta ex littera Aristotelis, supra quam, præsentem quaestionem fundauit Doctor; prius quam Articulos ad eam spectantes moueamus, hunc in principio mouere volumus; ne duo Antepredicamenta, quæ diuisiones appellauimus, intacta præmittentur; nam quamuis Doctor de eis non egerit; forte quia facilissima sunt; nos tamen breuiter illa transeuremus. Duas igitur diuisiones in secundo capite Antepredicamentorum Arist. assignauit; quarum prima est: eorum, quæ dicuntur, quædam dicuntur secundum complexionem; vt homo disputat; alia vero sine complexione: vt vincit; currit; homo. Leo, &c. Itaque illa dicuntur cum complexione, quæ mediante conceptu complexio exprimitur; & illa sine complexione, quæ mediante conceptu in complexio significantur.

Secunda diuisio sic se habet: eorum, quæ dicuntur; quædam dicuntur de subiecto; & in subiecto non sunt; vt genera, & species Prædicamenti substantia; (dicit enim de subiecto est superius de inferiori prædicari: sicut esse in subiecto est esse in alio; sicut accidens in subiecto; vel denominatiue de subiecto prædicari: vt sunt accidentium genera, & species) Alia sunt in subiecto, & de nullo subiecto essentialiter dicuntur: vt accidentia singularia: sicut hæc albedo, hæc iustitia; sunt enim in subiecto; sed de nullo: vt superius de inferiori dicuntur: Alia in subiecto sunt, & de subiecto quoddam essentialiter dicuntur; vt accidentia communia: v. g. charitas est in anima, vt in subiecto, mediante suo singulari, & de ipso suo singulari, vt de inferiori, essentialiter dicitur: Alia denique nec in subiecto sunt, nec de subiecto dicuntur: vt sunt indiuidua substantia; v. g. Petrus, & Ioannes; & de istis diuisionibus, & de earum finibus inquirimus in præsentia.

Et contra primam diuisionem sit primum, in hoc articulo, argumentum: prima diuisio deservit ad cognoscendum ea, quæ sunt in Prædicamentis, ab illis, quæ in Prædicamento non sunt: quia sola entia in complexa in Prædicamento collocantur: Sed corpus animatum est quid complexum; & tamen in Prædicamento ponitur: igitur hæc diuisio inutilis est, & superflua.

Secundo, secundum Aristor. ly currit, & ly disputat, & cætera huiusmodi, sunt incomplexa: sed hoc est falsum; vt voluit Ammonius, & Villalpandæus: sunt enim complexa: ergo prima diuisio confunditur: probo minorem: nam talia verba significant actionem, & subiectum ipsius actionis: quod est complexum significare: igitur, &c.

Tertio, contra secundam diuisionem: nam secundum Philosophum, multis in locis, plures sunt modi essendi in alio: scilicet, vt pars integralis

1. Argum.

2. Argum.

3. Argum.

gralis in toto integrali: sicut manus in corpore: Secundo vt totum in partibus, ex quibus constat: Tertio, vt species in genere; seu sub genere: Quarto, vt genus in speciebus: Quinto, vt forma in subiecto: Sexto: vt effectus in virtute suæ causæ: Septimo, vt contentum in continente: sicut vinum in dolio: Octauo, vt Rex in Regno per Imperium: Nono, tandem, vt res in suo fine: sicut avarus in pecunijs: sed ex istis nouem tantum, in ista diuisione fit mentio de quarto, & quinto; & non de alijs: igitur hæc diuisio est diminuta.

Conclus.

Dicendum: prædictæ diuisiones sunt optime à Philosopho traditæ. Patet: tum ipsius auctoritate: tum etiam quia intentum huius libri est omnia, quæ in mundo sunt, ad certum numerum redigere; & quæ illorum sint in Prædicamento ponenda; quæ ab illo reiicienda nobis manifestare: sed per primam diuisionem scimus omnia, quæ sunt in mundo, esse complexa, vel in complexa; ex quibus solum incomplexa in Prædicamento collocantur; vt infra dicemus: & quia omnia, vel sunt substantia, vel accidens: & ideo necesse est scire differentiam eorum; quæ ponuntur in Prædicamento substantia, ab his, quæ ponuntur in Prædicamento accidentium; ideo secunda diuisio est assignata; quæ ad hoc deservit: ergo sunt optime, & necessario, assignatæ.

Ad primam.

Ad argumentum ad primum dico: quod corpus animatum sumitur dupliciter: vel vt representat nobis aliquod complexum; & sic falsa est minor: vel vt circumloquitur nobis aliquod incomplexum; & ita bene in Prædicamento ponitur: & concedo minorem, negando tamen consequentiam.

Ad secundam.

Ad secundum, nego minorem: nam ex primo Perihermenias cap. 3. verba simpliciter absolute sumpta nomina sunt: nomina autem res significant incomplexa: ad probationem eorum dico: quod verbum non significat subiectum actionis; sed tantum connotat illud: nullum tamen complexum dicitur; ex eo, quod connotat; sed quia complexum significat: alia omnia concreta complexa forent: quod est falsum.

Ad tertiam.

Ad tertium nego consequentiam: nam tantum hic agitur de illis modis essendi in alio, quæ ad cognitionem Prædicamentorum conducunt: & cum tales sint solum quartus, & quintus; ideo illorum tantum meminit Aristoteles.

ARTIC. II.

An ens, quod diuiditur in substantiam, & accidens, sit diuisum immediate in decem Prædicamenta?

PARS affirmatiua aliquibus ex nostris vera videtur: vt docet Margo, seu Annotatio Mauritij super formalitates; fol. 83; probantque illam hac ratione: nam Accidens in dicta diuisione æquiualeat noue ge-

neribus; ac si illa numerarentur; ponitur enim tantum breuitatis causa: ergo ens creatum, quod diuiditur in substantiam, & accidens est immediate tantum diuisum in decem genera: ac per consequens talis diuisio est bona.

1. Nota.

Cæterum, quia hæc sententia vera est, si res explicetur; ideo pro illius intelligentia notandum primo, quod ens reale multipliciter diuiditur; vt in formalitatibus supra patet: sed ad nostrum propositum sui prima diuisio, & quæ ad nos, diuiditur secundum Doct. quodlib. 5. per quantum; quantitate perfectionis simpliciter; & non quantum; id est perfectionem simpliciter non dicens: Rursus, ens quantum; aliud infinitum, & increatum; & est Deus; aliud finitum, & creatum; & est creatura. (Licet diuisio entis in Deum, & creaturam sit prima omnium, sumptis ente secundum se; & ex natura sua: nam diuisio per quidditates intimior est, quæ per passionem; sed nos illud diuidimus secundum nostrum modum confuse concipiendi) Rursus ens reale quantum finitum aliud est ens per se, seu secundum se; aliud per accidens: vt homo albus. Tandem ens per se immediate in decem genera diuiditur. Ratio autem diuidendi ens primo per quantum, & non quantum, est: quia concipimus gradum entis communem vni uoce Deo, & creaturæ; ac per consequens debet esse communicabile: & hoc est esse quantum quantitate perfectionis: sicut e conuerso non esse communicabile est esse non quantum: vt sunt relationes diuinae. Nota tamen; quod prædictæ entis diuisiones non sunt omnes immediate; sed tantum aliquæ.

2. Nota.

Secundo notandum est: Doctore in expositione quinti Metaph. cap. 7. aliam esse diuisionem entis realis in substantiam; & accidens: & aliam in ens per se; & ens per accidens: nam diuisio in substantiam, & accidens, est diuisio entis realis, vt forte abstractit ab ente infinito, & finito: & hoc modo substantia dicitur proprie me de Deo: at vero diuisio entis in ens per se, & in ens per accidens, solum est entis finiti: præterea etiam, si prima diuisio sit entis finiti, adhuc est inter utramque maximum discrimen: nam illa, vt ait Doctor, est entis realis absolute sumpti: quia tam substantia, quam accidentia, sunt absolute entia: ista vero est entis, secundum quod respectiue consideratur; id est, comparando accidens ad substantiam: vt homo albus: vel accidens ad accidens: vt album musicum: in hoc enim sensu dicitur ens per accidens: ablata tamen comparatione, tam homo, quam albedo, sunt per se entia.

Nec ex hoc sequitur: decem genera esse formaliter respectiua; sed tantum denominatiue: sicut omnia creatura; licet sint etiam absolute; dicunt tamen dependentiam ad Deum, à quo dependent. Nec etiam sequitur: esse omnia proprie absolute: nam licet omnia Prædicamenta sint absolute; vt absolutum dicit non aliud denominare; non vero, vt absolutum dicit esse ad se; prout sumitur contra esse ad aliud.

3. Nota.

Tertio notandum: quod quando aliqui Scoti dicunt, entis diuisionem in substantiam, & accidens, esse immediate in decem genera; ly ens

ens debet sumi pro ente finito, & per se; & ly acci-  
dens; vt æquiualeat nouem generibus, ac si expli-  
cite nominarentur.

1. *Conclus.*

Dicendum primo, immediatum diuisum in  
decem genera est ens quantum finitum per se:  
Hæc est Doct. & communis in nostra Schola:  
eamque expresse docet Arist. 5. Metaph. tex. 4.  
vbi etiam Doct. & ex not. 1. constat.

2. *Conclus.*

Dicendum secundo, ens diuisum in substan-  
tiam, & accidens, modo in not. Vltimo explica-  
to, potest dici diuisum immediatum: secus si tale  
ens magis transcendenter sumatur: prima pars  
patet. Secunda probatur: nam tale diuisum ita  
commune prædicatur de ente finito, & infinito;  
& de omni substantia, & accidente; siue com-  
plete, siue incomplete, sumantur; estque vniu-  
ersum illis: sed certum est, quod nec Deus; nec en-  
tia incompleta, sunt per se in Prædicamento; vt  
infra dicemus: ergo tale ens reale nequit esse  
immediatum diuisum in decem genera supre-  
ma.

### ARTIC. III.

*An diuisio entis per se in decem gene-  
ra sit sufficiens?*

**I**nsufficienciam huius diuisionis tam quoad  
paucitatem, quam quoad pluralitatem quã  
decem, ostendunt argumenta in principio  
quæstionis facta: & quamuis Doct. asse-  
rat cum Philosopho tantum decem genera esse;  
non tamen sufficienciam illorum; & vnde iste  
numerus denarius sumatur; ostendit. Quare no-  
tandum primo, quod Prædicamentorum suffi-  
cientia dupliciter inuestigari potest; à priori, &  
à posteriori: primo modo sunt nobis ignota: quia  
essentia rerum nobis ignota sunt. Secundo mo-  
do notificantur per modum habendi esse reale,  
seu per modos essendi, quorum sufficiencia ita  
venari potest: omne, quod est, aut est ens per se  
in se; aut est ens per se in alio: si primum; est sub-  
stantia, quæ dicitur natura completa, cui debe-  
tur per se, & in se esse. Si secundum: aut est in  
alio ordinando illud ad aliud extrinsecum; aut  
non: si hoc secundum: vel est in subiecto exten-  
dendo ipsum; vt habeat partes extra partes ex-  
tensiuæ: & sic est quantitas; quæ est natura acci-  
dentalis completa, cui debetur subiectum redde-  
re extensum, aut est in illo, tanquam forma qua-  
lificans; & est qualitas, cui debetur subiectum  
reddere quale. Si primo modo est in subiecto,  
illud scilicet ad aliud ordinando: vel ordinat  
illud ad aliud, tanquam respectus intrinsecus  
adueniens, qui positus extremis sine alio addi-  
to resultat; & est relatio, cui debetur vnum ad  
aliud, vt ad purum terminum referre: vel ordi-  
nat illud tanquam respectus extrinsecus ad-  
ueniens, qui non ex natura extremorum tan-  
tum, sed ratione alterius additi, consurgit: &  
tunc adhuc dupliciter; nam vel est omnino ex-  
tra rationem subiecti; vel non: si primum: vel  
ordinat subiectum, tanquam illius mensura se-

cundum totam magnitudinem; & est, vbi; & est  
natura, cui debetur totum locatum ad totum lo-  
cum ordinare: vel tanquam mensura ordinans  
partes subiecti ad partes loci: & est situs, seu po-  
sitiō: situs enim est ens per se, cui debetur partes  
subiecti ad partes loci ordinare. Vel est in subie-  
cto, tanquam mensura durationis: & sic est. Qua-  
do, cui competit subiectum in ordine ad tem-  
pus referre. Si non est omnino extra rationem  
subiecti; aut est in illo; vt ratio agendi motum;  
& est Actio, cui debetur agens ad passum, vt ad  
subiectum, in quo agit, ordinare: aut est in subie-  
cto, vt ratio patiendi: & est Passio: Passio enim  
est ens, cui debetur, subiectum, vt passum, &  
transmutatum, ad agens, vt ad transmutans re-  
ferre. Vel tandem est in subiecto, vt aliquid ip-  
sum ordinans, & induens; & est habitus, cui com-  
petit subiectum ad rem habitam ordinare. Et hic  
est communis modus inueniendi denarium nu-  
merum Prædicamentorum apud Nostrates.

Alij tamen, vt ex tractatu quinque vocum  
constat; sic hunc numerum inuenire putant.  
Quidquid enim est, inquit, vel est per se; vel  
in alio; vel ad aliud; vel cum alio. Substantia per  
se est: quantitas in alio; nempe in substantia: re-  
latiua sunt ad aliud; quoniam ad alterum refe-  
runtur: qualitas cum substantia, est cum alio. Ex  
his fabricantur cætera sex Prædicamenta: sub-  
stantia enim coniungitur cum quantitate duo-  
bus modis; vel in tempore; vel in loco: si in tem-  
pore; facit Prædicamentum, Quando: si in lo-  
co facit Prædicamentum, vbi. Substantia etiam  
coniungitur bis cum relatiua: & tunc facit, Ha-  
bere; & Sicut, Coniungit se etiam bis cum Qua-  
litate; vel in agendo; & sic facit Prædicamen-  
tum Actionis: vel in patiēdo; & sic facit Præ-  
dicamentum Passionis. Primus modus est me-  
lior.

Secundo notandum: quod licet numerus  
Prædicamentorum prædictis modis Metaphysi-  
co progressu sit inuentus: Logice tamen loque-  
do per modos prædicandi de prima substantia  
potest prædictus numerus inuestigari sic: pro-  
prius modus prædicandi substantiæ est prædica-  
ri in, quid, de prima substantia, cuius quæsitium  
est, quid? modus prædicandi quantitatis est præ-  
dicari in quantum quanti; quot; vel quoties: cu-  
ius quæsitium circumloquitur per hoc comple-  
xum: quanti quot, quantum quoties? Ad aliquid  
prædicatur in hoc, quod est relatiue se habere: cu-  
ius quæsitium est: quomodo se habet hoc ad  
aliud? qualitas prædicatur in quale; vel qualiter;  
cuius quæsitium est: quale, vel qualiter? Actio  
prædicatur in quod agit: cuius quæsitium est;  
quod, vel quid agit? Passio prædicatur, à quo pa-  
titur: cuius quæsitium est: quid patitur? Vbi  
prædicatur in quò, qua, vbi, & vnde: cuius quæ-  
sitium per ista quatuor circumloquitur. Quan-  
do prædicatur in quando; cuius quæsitium est:  
quando; quando; & quanto tempore? Sicut præ-  
dicatur in qualiter est situatum: cuius quæsitium  
est: qualiter situatum est? tandem Habitibus prædi-  
catur de prima substantia; in qualiter habituari  
est: cuius quæsitium per idem circumloqui-  
tur.

Dicen-

*Conclus.*

Dicendum tam metaphysice, quam logice lo-  
quendo Prædicamenta sunt tantum decem: ita vt  
nec plura, nec pauciora, esse possint. Hæc autho-  
ritate Philosophi, & omnium eius interpretum  
consensu, firmatur: & ex notabilibus constat: nã  
omnia, quæ in mundo sunt, tam quoad esse, quã  
quoad prædicari, denario numero comprehen-  
duntur; vt vidimus, igitur, &c.

### ARTIC. III.

*An ens per se immediate in decem gene-  
ra, per modos intrinsecos  
diuidatur?*

*Argum.*

**Q**VIA, vt ait Doct., præsens quæ-  
stio magis est metaphysica, quam lo-  
gica; ideo aliquas metaphysicas diffi-  
cultates circa eam mouere opus  
est: & pro præsentis negatiua par-  
te sit argumentum. Omnis diuisio debet fieri per  
duo: quia debet fieri per opposita: sed vnum vni  
est oppositum: ergo hæc diuisio non debet esse  
per decem immediate.

*Nota. 1.*

Pro intelligentia notandum ex Doct. in 1.  
dist. 8. q. 3. lit. Y. quod modus, seu gradus intrin-  
secus, est, qui additus rei, cuius est modus, non va-  
riat rationem formalem illius; nec dicitur aliquam  
realitatem perficientem ipsam. Dicitur modus:  
quia modificat, & determinat rem, cui additur:  
dicitur etiam gradus intrinsecus: quia res, cui est  
additus, gradatim, & tanquam per gressus perfe-  
cte sub illo intelligitur: ita vt eo amoto, non in-  
telligeretur secundum omnimodam perfectio-  
nem, quam habere posset. Tales sunt in diuinis,  
in finitas, æternitas, & necessitas: in creaturis au-  
tem actus, & potentia, contingentia, intensio, re-  
missio, & existentia. Et talis modus intrinsecus  
in communem secundum Doct. in 1. dist. 17. q. 6.  
lit. Xx. est duplex: alter specificus, & quasi diffe-  
rentialis: alter individualis. Primus immediate  
pullulat ab ipsa re, & sequitur differentiam ipsius  
specificam: ita vt ipso variato, necesse sit rei essen-  
tiam variari: quia cum sequatur formam; necesse  
est, vt etiam ipsa forma varietur: & talis specifi-  
cus gradus, quem omnis species, seu natura entis  
realis, habet, aduenit rei in secundo signo: & quã-  
uis eam in suo esse formali non constituat, nec  
essentialiter perficiat (hoc est enim modum intrin-  
secum non variare rationem rei formalem) nam  
iam illam in tali esse constitutam præsupponit:  
nihilominus perficit ipsam quoad gradus perfe-  
ctionis intensiuæ, quos debet habere: ita quod si-  
ne illo non potest, nisi imperfecte intelligi; licet  
sit in sua essentia constituta, v. g. infinitas; licet  
naturam diuinam in suo esse iam constitutã præ-  
supponat: nihilominus in nullo instanti potest ip-  
sa natura diuina perfecte intelligi sine infinitate:  
cum infinitas sit perfectio illius gradualis.

Gradus individualis est perfectio consequens  
naturã iam singularẽ vt albedo, vt octo: de quo  
amplius infra cap. de substantia redibit sermo.

Ex quibus infero primo modum intrinsecum, 1. *Corol.*  
tam specificum, quam individualem constituere;  
& distinguere à posteriori rem; cuius sunt mo-  
di: nam licet illam non constituent, quoad enti-  
tatem quidditatuam; bene tamen quoad entita-  
tem intensiuam perfectionis: & eo modo, quo con-  
stituunt; distinguunt eam ab alijs rebus; prout  
etiam sub suis modis intrinsecis considerantur;  
imo & à seipsa; prout sine tali modo intelli-  
tur: albedo enim, si consideretur sine suo gradu  
specifico; vel individuali, imperfecte intelli-  
tur: & talis conceptus imperfectus dicitur com-  
munis: si vero cum suo gradu percipiatur; tunc  
talis conceptus est perfectus, & proprius, & dif-  
ferentialis in secundo signo, & à posteriori.

2. *Corol.*

Infero secundo, latum esse discrimen inter  
differentiam specificam, & gradum specificum  
intrinsecum: tum quia differentia semper est de-  
sumpta ab aliqua realitate extrinseca reali ge-  
neris, quam contrahit: vt patet in rationali, &  
irrationali respectu animalis: & in realitate diffe-  
rentiæ albedinis, respectu coloris: nam tam rea-  
litas animalis, & rationalis, ac irrationalis; quam  
realitas coloris, & realitas differentiæ albedinis,  
possunt ab intellectu distinde, intuitiue, concipi-  
piens, secundum se, absque alterius adminiculo  
concipi; quin altera illarum imperfecte concipi  
dicatur; & quin realitas generis non possit etiam  
perfecte concipi intensiuæ, absque realitatibus  
differentiarum. At vero gradus specificus non  
sumitur ab aliqua realitate extrinseca rei, cuius  
est gradus; sed ab ipsa immediate dimanat; tan-  
quam illius perfectio intensiuæ: & ideo implicat,  
ipsum gradum intrinsecum intuitiue concipi, si-  
ne illa re, cuius est gradus; & è contra: nam im-  
plicat rem intuitiue cognoscere, sine intrinseca  
perfectiōne intensiuæ; & è conuerso: quamuis  
cognitione abstractiua res individualis possit cog-  
nosci sine suo modo intrinseco individuali; imo  
& res specifica sine gradu specifico: quia talis nõ  
est de eius essentia. Tum etiam secundo diffe-  
rentia: quia realitas differentiæ vnum per se meta-  
physicum componit cum generis realitate, quæ  
respectu illius, licet perfecte secundum se concipi-  
atur; semper est perfectibilis, & potentialis: &  
realitas differentiæ semper est perficiens, &  
actuans: at tamen gradus intrinsecus, si aliquam  
compositionem facit in rebus creatis, tantum est  
gradualis. & ideo commune, quod per illum de-  
terminatur, non dicitur genus: & talis composi-  
tio est simplicior compositione generis, & diffe-  
rentiæ. Tum tertio discriminatur: quia diffe-  
rentia semper præsupponit aliquod commune;  
quod sit vere, & proprie potentialiter: at vero gra-  
dus intrinsecus non semper tale præsupponit: ni-  
si aliquod commune determinabile, & imperfe-  
cte conceptum.

3. *Corol.*

Infero tertio, quæcunque modum intrinsecum  
dicere aliquam realitatem additam rei, cuius est  
modus: tum quia Prædicamenta formaliter po-  
sitiue distinguuntur: & tamen distinguuntur  
per modos: ergo tales modi aliquam entitatem  
positiuã dicunt: quod enim est nihil formaliter, nõ  
facit realiter positiuæ differre. Tum quia Deus  
per infinitatem, & creatura per finitatem, di-

X  
stin,

stinguantur, saltem à posteriori: quis enim infinitatem, quæ in opinione Doctoris est modus intrinsecus, & perfectio simpliciter in Deo, realitatem aliquam esse negabit: tum etiam, quia modus dicitur addi rei, cuius est modus: ergo si additur à parte rei, aliquid debet dici. Nec hoc videatur esse contra Doctorem: ipse enim non negat modum intrinsecum dicere realitatem: vt multi eius Discipuli, cum Landulfo, in prologo sententiarum, tenent: sed tantum negat dicere realitatem perfectiorem, & constituentem, vñ quidditatem per se primo, & à priori; sicuti differentia: & quod hæc sit illius mens, patet ex verbis suis vbi supra; & alibi: Hæc ceteris enim modus est intrinsecus naturæ; & ab eo entitas positiva appellatur.

**1. Conclus.** Dicendum primo, ens per se diuiditur in decem genera per decem realitates nobis ignotas, quarum quælibet constituitur in suo esse quidditativo vnus gradus entis realis communicabilis multis à parte rei, qui genus supremum dicitur. Hæc est aliquorum formalizantium in formalit. fol. 241. minique certissima, & sine controuersia videtur: & probatur primo. Antecedenter ad modos intrinsecos, quodlibet Prædicamentum est verum ens reale per se completum: ergo in illo priori, quodlibet est vere constitutum realiter: ergo ratio illud constituens est aliqua realitas: quia constitutum reale necessario reale constituens requirit: Antecedens probatur: Substantia, v. g. in illo priori est gradus communis negatiue sufficiens ad fundandam relationem generis supremi: ergo necessario est ens completum: aliter enim esset gradus simpliciter simplex: quod tantum competit enti, vt abstrahit à decem Prædicamentis.

Secundo, modus rei, non constituit, sed præsupponit rem: aliter nõ esset modus, sed ratio constituens: ergo Prædicamenta in suo esse reali nõ constituuntur per suos modos: ergo per aliquid antecedens ad modos: sed illud necessario est aliquid reale: ergo in illo priori, aliqua realitas debet dari, quæ simul cum ente constituat gradum prædicamentalem.

**2. Conclus.** Dicendum secundo, decem Prædicamenta à posteriori, & nostro modo confuse concipiendi diuiduntur ens per se per decem modos intrinsecos positivos: hæc est in nostra Schola communis: & probatur; ens reale nobis innotescit per esse in alio, tali, vel tali modo; & per esse per se, & in se: sed esse in se est modus intrinsecus substantiæ, quæ quidditatiue est natura, cui talis modus debetur: & esse in alio, modo art. 3. explicato, est modus intrinsecus Accidentium: ergo per tales modos diuisio entis manifestatur: nõ à priori, ex prima conclusione: ergo à posteriori.

**3. Conclus.** Dicendum tertio, diuisio entis realis per se in decem genera est immediata; ita vt non mediet alia bimēbris, aut trimēbris. Hæc est Doct. 5. Metaph. q. 6. §. concedo hæc argumenta: prope finem: patet: decem Prædicamenta sunt primo diuersa: ergo si inter ens, & illa, esset diuisio media, in illis membris mediatis conuenirent: ac per consequens non essent primo diuersa.

**Ad argum.** Ad argumentum contra hoc: distinguo maiorem: de diuisione extra genus, est falsa: de diuisione vero intra genus, est vera: dñ modo sit diuisio generis in species; vel subiecti in accidentia: quia hæc, licet non sit intra genus diuisio; est tamen absolute intra genus: secus autem; si fuerit diuisio intra genus speciei in indiuidua: nã hæc fit immediate per plura.

ARTIC. V.

An Prædicamenta realiter distinguantur?

**T**RIPLEX in hoc articulo sententia versatur: prima est Ochami cū suis Nominalibus in 1. dist. 24. q. 2. ad 1. & distinctiact. 30. q. 3. & in 2. dist. 1. q. 2. asserētis, non omnia Prædicamenta requirere distinctionem realem, aut formalem, per modos essendi; sed sufficere distinctionem rationis ratiocinata: cui sententiæ sic explicatæ subscribunt Fonseca 5. Metaph. & Suarez in Metaph. disp. 39. sect. 2. disp. 47. sect. 3. & disp. 49. sect. 2. Vazquez 1. p. disp. 22. cap. 5. & disp. 138. cap. 2. & disp. 173. cap. 2. & alij non pauci.

Secunda sententia asserit, nõ esse opus quod omnia Prædicamenta distinguantur realiter per modos realiter entitatiue diuersos; bene tamen esse necesse, vt distinguantur formaliter positue, seu actualiter, per modos essendi formaliter ex natura rei distinctos. Ita Araujo 5. Metaph. q. 1. art. 4. vbi ait esse expressam sententiã D. Thomæ ibidem lect. 7. & q. 7. de potentia art. 2. ad 2. & aliorum Thomistarum, quos ipse citat.

Primam partem probatur primo, ex Arist. in Prædicamentis cap. de quantitate, testante, posse vnũ, & idem, in diuersis Prædicamentis collocari: ergo.

Secundo, Actio, & Passio, constituunt diuersa Prædicamenta: & tamen sunt idem motus, secundum rem: ergo, &c.

Tertia, sententia est Doct. 7. Metaph. q. 6. §. concedo ergo diuisiõnem sufficientem: & quod distinguuntur realiter. Doctorem sequuntur eius veri Discipuli ibidem: Paulus Venetus cap. 3. 1. & alij quos citat Suarez vbi supra, qui omnes tenent omnia Prædicamenta realiter inter se distinguui: pro cuius intelligentia notanda sunt, quæ sunt per Porphyrium q. 1. Proæm. art. 3. de distinctionibus adnotauimus.

Dicendum: Decem Prædicamenta distinguuntur à parte rei proprie realiter inter se: hæc contra primam, & secundam sententiam statuitur: & probatur primo. Prædicamenta, metaphysice loquendo, sunt decem entitates completæ, & impermixtæ, constitutæ ex ente reali per se, & ex alia realitate nobis ignota; vt art. præcedente diximus; ergo distinguuntur essentialiter: sed distinctio essentialis in creatis est distinctio realis: vt optime docet Leuchetius in 2. dist. 1. q. 4. ergo realiter distinguuntur.

Secundo probatur conclusio per singula discurrendo: nam Substantia, & Quantitas, realiter distinguuntur: quia separantur; vt patet in altaris Sacramento: de Qualitate etiam apparet: nam si Deus

1. Sentent.

2. Sentent.

1. Argum.

2. Argum.

1. Sentent. Doctoris.

Conclusio.

si Deus potest facere, vt Quantitas, cum sit accidens absolutum, sit sine subiecto; etiam poterit facere, vt Qualitas, quæ est accidens absolutum, sit sine Quantitate: vt probat Doctor in 4. dist. 12. quæst. 2. Maxime, quia qualitas suscipit magis, & minus; habet contrarium; & ad ipsam est per se motus: quæ omnia substantiæ repugnant: ergo distinguitur realiter ab illa: de relatione (licet non possit à fundamento separari: nam non omnia, quæ realiter distinguuntur, arguunt realem separationem) etiam patet: quomodo realiter à fundamento distinguatur: vt late ostendit Doctor in 2. distinct. 1. quæst. 5. & nos in suo loco ostendemus: de Actione, & Passione, & alijs, infra cum de quolibet in particulari egerimus, videbitur: ergo, si quodlibet habet essentiam completam à parte rei ab alio essentialiter distinctam; necessario, fatendum est, omnia essentialiter inter se distinguui: ac per consequens realiter.

**Ad argum.** Ad argumenta: ad primum dico implicare contradictionem idem entitatiue ad diuersa genera spectare: vt supra vidimus: quare dictum Aristot. debet intelligi per accidens: vel quoad modum tantum: de quo in cap. de Qualitate dicemus. Vide Doct. in 3. distinct. 1. quæst. 1. lic. D.

**Ad secundum.** Ad secundum, respondebitur infra cum de Actione, & Passione, egerimus.

ARTIC. VI.

An respondentur in Prædicamento secundum esse reale; An secundum esse cognitum?

**Q**VIA argumenta; quæ pro vtrique parte fieri possunt vnica distinctione enodantur; ideo pro intelligentia difficultatis Notandum breuiter ipsam logice, aut metaphysice, intelligi posse. Si Logice sumatur; Prædicamentum est quædam comparatio, seu coordinatio prædicatorum superiorum ad inferiora; & è contra: & vt sic, certum est, Prædicamentum esse ens rationis. Si vero Metaphysice intelligatur; res, quæ in Prædicamento sunt; aut considerantur secundum esse reale, quod habent à parte rei; prout quodlibet prædicatum superioris distinguitur ex natura rei ab inferiori; & è conuerso; & prout sunt inter se ordinabilia in serie prædicamentali: quæ ordinabilitas est in ipsis rebus, nullo intellectu considerante; aut considerantur talia prædicata ordinabilia, prout ab intellectu cognoscuntur, & cognita denominatur ab actu absoluto intellectu possibili, qui proprie actus metaphysicus dicitur; quia per illum rerum quidditates cognoscuntur.

**1. Conclus.** Dicendum primo, nullo intellectu considerante, datur à parte rei coordinatio rerum inter se, & verum Prædicamentum reale. Probatur: nulla scientia realis constituit suum obiectum; sed illud constitutum in rerum natura præsupponit; sed Metaphysica est vere scientia realis agens de decem Prædicamentis; ergo supponit ea rea-

liter constituta: sed Prædicamentum est coordinatio rerum inter se: ergo à parte rei, nullo intellectu considerante, est talis rerum coordinatio.

Secundo, inter prædicata superiora, & inferiora, datur distinctio ex natura rei: ergo vnũ ex natura rei est alio inferius: ergo inter illa ex natura rei est ordo inferioris, & superioris: sed hoc est esse Prædicamentum reale: igitur, &c.

Dicendum secundo, si processu scientifico loquamur; prout, scilicet, Metaphysica considerat Prædicamenta; res secundum esse cognitum in prædicamento ponuntur. Probatur Metaphysicus indagans suum obiectum procedit per intellectum: sed talis processus est per cognitionem, à qua eius obiectum cognitum denominatur: ergo res, vt cognita, in processu scientifico, in Prædicamento collocantur.

ARTIC. VII.

An res, quæ in Prædicamento ponuntur, abstrahant ab existentia?

**P**ARTIS negatiue sit argumentum: datur vera scientia de re existente; vt existens est; ergo scientia agens de Prædicamentis ab eorum existentis non abstrahit. Consequentia tenet à paritate scientiarum; & obiectorum: Antecedens probatur: de Deo datur vera scientia: sed Deus includit existentiam in primo modo: vt tenet Doctor in primo, dist. 2. quæst. 1. ergo datur scientia de re existente; vt sic: ac per consequens demonstratio.

Notandum primo, quod præfens difficultas etiam logice, vel metaphysice; moueri potest: loquendo, quia cū liber iste, & res, de quibus in eo agitur, ad demonstrationem constituendam ordinantur; inquiritur; An existentia sit demonstrationi deserviens; An sufficiant essentialia prædicata; vt abstrahunt ab illa; metaphysice autem mouetur: quia cum Metaphysica rerum essentias consideret; prout sunt incorruptibiles; immateriales; perpetuæ; ac necessariae; & existentia videatur esse causa corruptionis; & materialitatis; ideo merito etiam metaphysice hæc difficultas vtilitatur.

Secundo notandum: quod existentia est duplex: altera communis consequens naturam, seu gradum communem; altera singularis consequens naturam iam singularizatam: prima nõ est causa corruptionis; nec propter illam fit aliqua mutatio physica in natura: secunda vero est causa totius physicae mutationis: vt super Porphyrium, q. 1. vniuers. diximus.

Dicendum: tam logice; quam metaphysice loquendo, res, quæ in Prædicamentis collocantur, ab omni existentia abstrahunt. Hæc debet esse communis: & quoad primam partem probatur ad demonstrationem solũ sunt necessaria prædicata in illo modo, quò fit ipsa demonstratio: siue sit demonstratio; quia; siue propter quid; sed talia prædicata in sua quidditate non includunt existentiam (quæcumquæ sit) vt ad demonstrationem concurrant: ergo logice loquendo ab existentia abstrahunt. Maior est certa: nam si

2. Conclusio.

Argumentum.

1. Nota.

2. Nota.

Conclusio.